



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

15. S. Maurus Galliæ Apostolus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

expectamus? in amore perseveremus. Videtur enim Maria dicere Filio, sicut Filius Patri : Volo Fili, ut, ubi ego sum, ibi sit & minister meus. Rich. à S. Laur.

Instructio meritoria.

Omniū terribilium terribilissimum mors est. Suavissimam ut sentiamus, ad elevationem S. Hostiæ, & S. Calicis sub sacrificio Missæ Jesu, & Mariæ nostram agoniam cum ultimis torturis quàm affectuosissimè commendemus, addendo *tria Pater & Ave* cum Antiph. *Sub tuum præsidium &c.* potentes invitandi sunt. Nihil tuæ, ô Virgo! resistit potestati. Nihil repugnat tuis viribus; omnia tuo obediunt imperio; omnia tuæ potestati serviunt. Greg. Nicomed.

Festum S. Mauri Galliæ Apostoli cum indulgentiis plenariis.

EXHORTATIUNCULA I.

AD sanctitatem aspiramus Benedictinam? optimè. At ubi sunt alæ, quibus citò eò avolamus? en! porrigo in humili, prompta, & hilari S. Mauri obedientia. Hac solâ dignoscimur: An
simus

simus genuini Jesu Christi, S. Benedicti,
& S. Mauri discipuli? esse verò, ò quan-
ta gloria!

Instructio meritoria.

Ut per omnes S. Ordines virtus hæc
æquè nobilis, quàm summè necessaria
triumphet, recitemus *Litanias* ex Tri-
themio de omnibus Sanctis SS. Ordinis
Benedictini, cum 12. actibus abnegan-
dæ voluntatis propriæ. Obedientia nul-
la sine sui exercitio. *Propria voluntas*
Deo semper inimicatur. S. Laur. Just.

II.

S Maurus incedit super aquas; tamen
non mergitur, nec clamat cum Pe-
tro: *Domine! salvum me fac.* Parcunt
aquæ his, qui ad vocem & nutum cur-
runt superioris, rejectâ voluntate pro-
priâ. Leve reddit omne corpus strenua
voluntatis mortificatio. *O malum de-
testabile! ò antiqua nequitia, quancum*
dominaris! S. Laur. Justin.

Instructio meritoria.

O fili! unde tanta dispendia rerum?
ex propria voluntate. Subjiciamus
hanc Deo; igitur integram instituamus

Octavam in honorem prodigiosæ S. Mauri obedientiæ, & quotidie cum 3. *Pater & Ave* illam quoque orationem subnectamus, quam Ecclesia ipsa usurpat in hebdomade Majore: *ψ. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, & Mortem autem Crucis.* Oremus: *Respice quæsumus Domine super hanc familiam &c.* Crucifixum intuemur: *Ecce non obediamus?*

III.

Continentiæ fuit tantæ S. Maurus, ut per S. Quadragesimam bis tantum in hebdomade, & quidem parcissimè sumeret cibum: Somnum stando, aut super aggestum calcis, & sabuli stratò ciliò capiebat. Fili! quid hoc? nimium timemus corpori nostro: Cur? quia aut modica, aut nulla in Deo est nostra confidentia. Regnat caro: Extincta luget ratio. Qualis hic homo?

Instructio meritoria.

Patiamur hodie incommoda quædam in stando, sedendo, aut jacendo, gaudentes, & gratias agentes toties, quoties malè fuerit corpori. Caro non quiescit, nisi

nisi sub fercula. Exhibuimus membra iniquitati ad iniquitatem : Serviant jam justitiæ ad sanctificationem. Ut fiat, in honorem totius S. Passionis Dominicæ *Rosarium* recitemus *dolorosum*. Capiti sic simile membrum.

Festum S. Pauli Eremitarum Patriarchæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Video fugientem è sæculo in deserta Paulum. Quæ causa ? quia vidit pereundi occasiones, & pericula nimis quantum certissima. Exulabat fides cum castitate, & vita mortalium ducebatur non nisi inter carnis delicias, & turpia oblectamenta. Sic fugere, salvari est. Nec fuga ignobilis, quâ pervenitur ad Deum.

Instructio meritoria.

Ne petuliat sensualitas, unô, alterôve abstinentiæ actu ad prandium, & cœnam reprimamur, & sedentes ad mensam spiritualiter communicemus. Christum nobis nutriamus, & spiritum ; corpus verò & appetitum trucidemus. Pro ob-